

van  
the-  
roc-  
ooc  
eest,  
roch  
op de  
ende  
aen  
Daer  
Dat  
cken  
14.  
nde,

ELEGIA BILIBALDI PIRCKEYMHERI  
IN OBITUM ALBERTI DURERI.

Qui mihi tam multis fueras junctissimus annis  
Alberte, atque meæ maxima pars animæ,  
Quocum sermones poteram conferre suaves  
Tutus, & in fidum spargere verba sinum.  
Quar' subito infelix mcerentem linquis amicūm.  
Et celeri properas non rediture pede.  
Non caput optatum licuit, nec tangere dextram,  
Ultima nec tristi dicere verba vale.  
Sed vix tradideras languentia membra grabato,  
Quim mois æcclerans te subito eripuit.  
Heu spes fallaces, & mens ignara malorum!  
Quam lapsu celeri cuncta repente cadunt.  
Omnia Durero dederat fortuna secunda  
Ingenium, formam, cum probitate fidem.  
Omnia sed rursus celeri motis abstulit ausu,  
Tollere sed laudes improba non valuit.  
Virtus namque manet Dureri, atque inclita fama,  
Splendebunt donec sydera clara polo.  
I decus, i nostræ non ultima gloria gentis,  
Ductore & CHRISTO regna luperna pete.  
Illic non vano gaudebis semper honore,  
Pro meritis felix præmia digna ferens.  
Donec nos fragiles erramus mortis in umbra,  
Et miseri cymbalabimur instabili.  
At nos præservans aderit quum gratia CHRISTI  
Hoc duce felices ingrediemur iter.  
Interea mœsti lachrymas fundemus amico  
Nil quibus afflictis dulcius esse potest.  
Accendentque preces, summum placare tonantem  
Quæ possint, quicquam si pia yota valent.  
Et ne quid tumulo defit, spargemus odores,  
Narcissum, violas, lilia, ferta, rosas.  
Felix interea somno requiesce beato  
Dormit enim in CHRISTO, vir bonus, haud moritur.

Epitaphium ejusdem.

Albertus postquam pingendo ornaverat orbem,

Arteque tam lepida cuncta repleta forent.

Nunc restat cœlum, dixit, pingatur ut altum,

Mox terram linquens sydera clara petit.

Aliud.

Ingenium, probitas, candor, prudentia, virtus,

Ars pietasque fides, hic tumulata jacent.

Aliud ab eodem.

Per lachrymas posset si vita Alberte reverti,

Non corpus vili hoc contegeretur humo.

Sed quia non lachrymis, nec flendo fata moventur,

Mōrendo tantum soluimus inferias.

M. Beatis S.

Memoriæ Alberti Dureri, viri optimi, ac ætate sua pictoris absolutissimi, qui non solum primus è Germanis picturam auxit, illustravit, ac ad severiorem legem restrinxit, sed & literis posteriori commendare cœpit, ob quam rem, præcipue vero mores compositos, prudentiam ac modestiam singularem, Nurenbergensibus suis, imo exteris omnibus fuit charissimus, Divo vero Maximiliano, ac nepoti ejus Carolo, Cæsaribus, nec non Ferdinandi Hungariæ ac Bohemiæ Regi, acceptissimus, qui illum annuo largoq; stipendio foverunt ac summo prosequuti sunt favore. Obiit autem non sine magno amicorum desiderio. viij. idus Aprilis. Anno M. D. XXvij. Ætatis vero suæ. lvij.

Bibaldus Pirckemherus  
amicus integerrimus. M.P.

















